

oculto spectet; ac proinde talem non esse excommunicatum per Concilium Tridentin. Sess. 23. cap. 19. ubi spectatores duellorum excommunicantur: quia talis inter spectatores non censetur; nam spectatores vocari non solent, nisi qui in publico se exhibent, et sua praesentia spectaculum cohonestant: et alias poenae sunt restringendae.

2°. Ratione materiae, idque tripliciter: vel enim materia est per se illicita; ut si contineat occultum pactum cum dæmone, ut sunt omnia magica, et pleraque astrologica, chiromantica, hydromantica, et similia ad praedictiones futurorum, vel patefactionem occultorum pertinentia: haec enim propriissime dicuntur *curiosa*: quia omnino supervacanea, plena superfluis curis, et vanis imaginationibus, de quibus Actor. 19. *Multi ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus.* Vel materia est periculosa, utpote inductiva in peccatum: hoc modo lectio curiosa de rebus amatoriis potest esse peccatum mortiferum, ob probabile periculum consensus: similiter visus et contactus curiosus. Vel est intellectui improporcionata; ut sunt mysteria fidei, quae si quis ingenio suo scrutari velit, et de illis iudicium ferre, erit mortifera curiositas: qualis est in haereticis, qui nihil volunt credere, nisi prius a se examinatum deprehenderit suis phantasiis conforme. Hanc curiositatem vitare monemur Ecclesiastici 3. *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris*: nempe animo illa perfecte capiendi, aut de illis iudicandi, aut nimio studio aut conatu; sed quae praecipit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Et infra: *Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum*, id est, multi decepti sunt, et vani effecti, cum putarent se capere quae non intelligebant. Graeca hic paulo aliter habent, sed sensus eodem redit. Huc etiam pertinet illud Proverb. 25. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria*; et illud Apostoli ad Romanos cap. 12. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.*

3°. Ratione mediorum; ut si quis illicitis mediis notitiam aliquam parare velit: verbi gratia, arte notoria, vel magisterio dæmonis. Item si non possis scire nisi alterum ad malum inducas; ut si velis scire arcanum alteri commissum, vel quod ipse patefacere non potest, praesertim si juramento prohibeatur. Si, ut spectes mira, alterum inducas ut magia utatur, vel desideres, vel consentias ut utatur. Secus si tibi non placeat ipsum ista facere, nec possis impedire.

4°. Ratione pravi finis; ut si intentione decipiendi, vel alicui notabiliter nocendi aliquid scire velis. Quamvis proprie tunc non sit curiositas, nisi materialiter; quia non affectu sciendi quaeritur notitia, sed operandi.

5°. Ratione incommodi connexi; ut si ita alicui studio minus utili incumberet, ut ea quae necessaria sunt ad salutem discere vel exequi praetermitteret; vel si cum scandalo aliorum studium aliquod tractaret.

6°. Quandocumque appetitus sciendi est illi causa committendi alicujus peccati mortiferi; quacumque ratione id fiat, est peccatum mortiferum.

197. Alterum extremum est *negligentia* studiorum; quae nihil est aliud quam voluntaria omissio discendi illius, quod discere vel scire tenetur: ut si quis negligat discere articulos fidei, et alia ad salutem necessaria: si

Medicus, Advocatus, Parochus, Episcopus, negligant ea discere, quae suum cujusque officium attingunt: si studiosus negligat sua studia.

Est autem haec negligentia per se, quatenus procedit ex taedio laboris, et defectu amoris ad cognitionem sibi congruentem, peccatum veniale; saepe tamen potest esse mortale ratione materiae, nimirum si sub peccato mortali ad eam discendam, jure divino vel humano erat obstrictus. Quod si solum sub veniali tenebatur, erit veniale.

DUBITATIO XI.

DE MODESTIA IN MOTIBUS EXTERNIS.

D. Thom. quest. 168.

198. Modestia, a modo scientiae quid deceret hominem appellata est, teste D. AMBROSIO L. 1. Offic. cap. 18. n. 78. vel a modo nostris motibus imponendo. Graeci vocant *ἐταξίαν*; a Stoicis apud Ciceronem L. 1. Offic. sic definitur: *Modestia est scientia earum rerum, quae aguntur aut dicuntur loco suo collocandarum.* Dicunt esse scientiam, quia virtutes omnes scientias esse putant, eo quod prudentia est omnium bonarum actionum regula. Melius sic definitur: *Modestia est virtus, externos motus et gestus corporis ex praescripto rectae rationis temperans*; vel sic: *est virtus decorum in externis motibus et gestibus servans.*

199. Materia ergo hujus virtutis est motus corporis et gestus exterior sensibus obviis; ut incessus, statio, sessio, motus capitis, contractio et explanatio vultus, membrorum jactatio, vox, risus, aspectus. Unde Cicero L. 1. Offic. *Ex oculorum obtutu, superciliorum aut contractione aut remissione, ex maestitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex submissione, ex caeteris similibus facile judicabimus quid apte eorum fiat, quid ab officio naturae discrepet.*

Ratio est, quia motus externi membrorum sunt liberi; ac proinde subsunt rationis ordinationi. Id autem quod subest rationis ordinationi, cum recte et prave ordinari possit, est materia virtutis et vitii.

Forma vero quam huic materiae modestia imprimit, est congruentia ad personam spectatam tum absolute, tum in ordine ad eos, cum quibus, vel coram quibus agitur; et ad locum, tempus, et negotia, de quibus agitur.

Primum enim debent hi motus et gestus ita fieri, ut congruant personae, cujus sunt. Decorum enim est, quod congruit naturae rationali in eo, cui inest: seu quod secundum rectam rationem congruit ei, cui decorum dicitur. Unde AMBROSIO L. 1. cap. 19. *Hoc est, inquit, pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui et personae reddere.* Debet etiam congruenter fieri ad alios; quia pro diversitate personarum, quibuscum agitur, diverso quoque modo tota conversatio, et ratio agendi est moderanda. Similiter pro diversitate temporis et loci. Unde Stoici modestiam in eo constituebant, ut omnia suis temporibus et locis agantur et dicantur: quod Cicero explicans; *Tanta, inquit, vis est et temporis et loci, ut si quis cum causam sit acturus, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur, non reprehendatur: at hoc idem si in convivio faciat, inhumane videatur, inscientia temporis.*

200. Officium igitur hujus virtutis est ista omnia sic moderari, ut congruant personæ, tum in se consideratæ, tum ut habet ordinem et respectum ad circumstantes, ad locum, tempus, et negotium præsens.

Et quidem quod ad gressum, qualis esse debeat in viro gravi, docet luculente AMBROSIVS L. 1. Offic. cap. 18. n. 75. ubi inter cætera ait : *Est etiam gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit, atque affectatio: sed motus sit purus ac simplex (nihil enim fucatum placet), motum natura informet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet, ut ars desit, non desit correctio.* Quod postremum in cæteris externis formandis tanquam regula est adhibendum.

De voce cap. 19. n. 84. sic ait : *Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans, qualem multi gravitatis specie simulare consueverunt; sed formam quamdam et regulam, ac succum virilem reservans. Et infra: Ut molliculum et infractum, aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo; ita neque agrestem aut rusticum: naturam imitemur; ejus effigies, formula disciplinæ, forma honestatis est.*

Oratio qualis esse debeat, sive in colloquiis, sive in tractatu seu concione, docet cap. 22. n. 99. his verbis : *In utroque servandum ne sit aliqua perturbatio; sed tanquam mitis et placidus, benevolentia plenus et gratia, sine ulla sermo ducatur contumelia: absit pertinax in familiari sermone contentio. Et infra: Disceptatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione.* Et infra, qualis esse debeat oratio concionatoris : *Oratio sit pura, simplex, dilucida, atque manifesta, plena gravitatis et ponderis: non affectata elegantia, sed non intermissa gratia.* Vide plura apud eundem ad hujus virtutis officium pertinentia.

201. Ex quibus constat quanti hæc virtus sit momenti, utpote necessaria ad bonum nomen, ad proximi ædificationem, et ad amicitiam, vitamque communem. Nam ut idem AMBROSIVS cap. 18. n. 71. ait : *Habitus mentis in corporis statu cernitur: hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior: aut contra gravior, et constantior, et purior, et maturior aestimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus.* Idem insinuat illud Ecclesiastici 19. *Ex visu cognoscitur vir; et ab occurso faciei cognoscitur sensatus.* Denique in hac totum fere externum decorum, et pulchritudo vitæ consistit.

Notandum tamen, hanc externam moderationem ex diversarum virtutum affectu præstari posse, eaque ratione ad diversas pertinere virtutes. Si enim externam modestiam præstes, ut talem te foris exhibeas, qualem te intus esse putas, pertinebit ad virtutem veritatis: sicuti hypocrisis est aliud foris simulare, aliud animo gerere. Si id facias ut te aliis commodum, et suavem in conversatione exhibeas, erit officium amicitia, seu affabilitatis; si ut reverentiam rebus sacris habeas, erit officium religionis. Ratione tamen materiae semper dicetur modestia: ad quam etiam formaliter pertinebit, si fiat affectu congruentia, quam habet ad ipsam personam, cui inest, cum circumstantiis occurrentibus spectatam.

202. Contra hanc virtutem peccatur per excessum et defectum. Per excessum, cum plus agitur, quam præscriptum rationis habeat. *Primo*, si externi

motus vel gestus communem modum excedant; hoc vocatur vulgo *petulantia* vel *insolentia*. *Secundo*, si alienum modum tibi non congruentem assumas; ut si religiosus utatur moribus aulicis: quo pertinet mollities quædam in voce, gressu, gestibus, quam D. AMBROSIVS sæpe reprehendit. *Tertio*, si ficto animo modum aliquem assumas; quod est hypocrisis. Cæterum in his non est peccatum mortale, nisi ratione pravi finis, vel scandali, vel alterius gravis nocumenti.

Per defectum peccatur contra hanc virtutem, morum ruditate et rusticitate: hæc per se non est peccatum nisi veniale; per accidens tamen mortale esse potest: v. g. ob scandalum vel offensionem, cum alii putant se tali ratione contemni.

DUBITATIO XII.

DE EUTRAPELIA.

D. Thom. quæst. 168. art. 2. 3. 4.

203. Omnes motus gestusque externi vel serio fiunt, vel ludi jocive causa. *Serio* fieri dicuntur, cum non ad ludum vel jocum. *Ludus* proprie in factis, *jocus* in verbis est. Generatim tamen *ludi* nomine etiam *jocum* intelligimus: nam verbis quoque ludere dicimur, et ludere hominem, et in hominem.

Si serio agantur, eorum moderatio ad virtutem, quæ communi nomine dicitur modestia, pertinet. Si ludi causa, moderatio quidem ad modestiam pertinet; tamen ut sit distinctio inter hanc modestiam, quæ est in ludicris, et illam, quæ in seriis, hæc proprio nomine vocari solet *εὐτραπέλια*, et qui ea præditi, *εὐτράπελοι*, quasi *εὐτροποι* (ut Aristoteles L. 4. Ethic. cap. 8. ait), id est, flexibili ac versatili ingenio: quia dicta et facta quædam, dextre ad recreationem animi convertere norunt. Est igitur *eutrapelia* species modestiæ. Unde definiri potest, ut sit *modestia in ludicris*; vel hoc modo: *eutrapelia est virtus quæ ludis et jocis rationis modum imponit*; vel sic: *quæ in ludicris decorum servat.* Aliter hoc nomine utitur Apostolus ad Ephes. 5. nimirum pro scurrilitate; facilis enim in jocis ad scurrilitatem lapsus.

204. Itaque materia hujus virtutis sunt *actiones ludicræ*, sive in factis, sive in dictis sitæ: sunt enim istæ actiones liberæ, ut constat, et per se non illicitæ, sed indifferentes, ac proinde capaces ordinis recti vel pravi, a ratione imponendi, in quo ratio virtutis et vitii consistit. Quod autem etiam viris gravibus tales actiones interdum illicitæ non sint, patet: quia sicut corpus fatigatur corporali labore, propter consumptionem spirituum, et membrorum exsiccationem; ita anima rebus seriis intenta fatigatur labore spiritali: cogitando enim attente, consumuntur spiritus animales, quibus ipsa utitur ad functiones, non quidem ipsius per se intellectus, sed phantasie, a quibus omnis functio intellectus dependet. Ipsum quoque cerebrum incalcescit et exsiccatur: unde sicut corpus eget quiete ad refectionem spirituum, et virium instaurationem; ita etiam anima sua quiete opus habet: quies autem animæ propria est ludus et jocus, quia in his non laborat, cum magnam attentionem non requirant, et voluptate quadam sensus internos afficiant: et interea dum animus ita recreatur, natura novos

spiritus suppeditat, et organa ad temperiam priorem reducit. Hinc Cicero L. 1. Officior. *Ludo, inquit, et joco uti illo quidem licet, sed sicut somno, et quiete, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus.* Unde sequitur, eos, qui gravibus studiis, et rebus spiritualibus multum intendunt, hoc solatio subinde uti posse; quod etiam docet CASSIANUS Collat. 24. seu ultima cap. 20. idque confirmat cap. 21. exemplo et responso B. JOANNIS Evangelistæ qui similitudine arcus assidue intenti et nunquam laxati hanc rem declarabat. Idem insinuat D. AUGUSTINUS L. 2. de Musica, in fine, cum ait: *Volo tandem tibi parcas: sapientem enim interdum remittere aciem, rebus agendi intentam, decet.* Constat igitur materiam istam licitam esse.

Forma quam hæc virtus ludo inserit, est *congruentia* ad personam ludentem, tum in se spectatam, nimirum ut ejus dignitati non repugnet; tum in ordine ad alios, et ad locum, tempus ac negotium præsens. Facit enim ut ludus sit congruens personæ cum istis circumstantiis spectatæ: sicut modestia reliquos motus et gestus convenienter personæ disponit.

205. Porro tria hic sunt maxime cavenda. 1º. Ut absit omnis injuria, obscenitas, et illiberalitas. Unde Cicero supra: *Ut pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam, quæ ab honestatis actionibus non sit aliena: sic in ipso joco aliquid probi ingenii lumen eluceat.* Deinde explicans quales joci vitandi, addit: *Duplex omnino est jocandi genus: alterum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum.* Illiberale vocat, quod homine ingenuo est indignum; quale aurigarum, nautarum, et similibus, ex hominum fæce, qui sordibus et nugis delectantur. *Petulans*, quod habet contumeliam. *Flagitiosum*, quod blasphemiam, vel aliud grave crimen implicat. *Obscenum*, quod impuritatem.

2º. Ne nimium in ludicra simus profusi. Unde AMBROSIVS L. 1. Officior. cap. 20. n. 85. *Caveamus, ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concertum quemdam bonorum operum.* Et Cicero: *Ipsum genus jocandi non profusum, nec immodestum; sed ingenuum et facetum esse debet.*

3º. Ne ista adhibeantur in rebus sacris, verbi gratia, in concionibus; neque per sacra exerceantur; quod, juxta D. THOMAM, insinuat AMBROSIVS L. 1. Officior. cap. 23. n. 102. cum ait: *Nam licet interdum honesta joca ac sua via sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula.* Et sane grave peccatum est, in sacris concionibus, jocos adhibere: est enim contra reverentiam et attentionem verbo divino debitam; nam in joco est remissio attentionis, et reverentiæ, in eoque assumitur quædam libertas, et tanquam si cum æqualibus de nullo serio negotio ageretur. Est etiam contra fructum et ædificationem: quia vis verbi divini in animis auditorum velut retunditur, et impressio mentibus eorum facta evanescit. Denique concionator existimationem suam amittit, et vanitatis a populo damnatur. Similiter grave peccatum est, verbis sacris ad jocos et facetias uti; unde Concilium Trident. Sess. 4. in fine *mandat et præcipit, ne de cætero quisquam ullis sacræ Scripturæ locis utatur ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, et jubet eos puniri per Episcopos; sæpe tamen ex levitate materiæ, vel ratione inconsiderationis, hujusmodi joci sunt peccata venialia.*

206. Porro sicut in ludis et jocis potest esse moderatio: ita excessus et defectus. Excessus est, cum quis amplius in istis sibi indulget quam ratio recta permittit. Defectus, cum minus. Dupliciter autem potest esse excessus, ut docet D. THOMAS art. 3.

1º. Ex ipsa specie actionum, quæ ad ludum assumuntur, nec tamen ad hoc sunt idoneæ: idque vel quia per se sunt peccata (ut cum ludi jocive causa quis utitur verbis vel factis obscænis, vel proximo noxiis); vel quia sunt sacra, et majorem reverentiam postulant. Quod si verba illa vel facta per se sint peccata mortifera, excessus erit lethalis; quia non ideo propriam malitiam amittunt, quod ad ludum et recreationem ordinentur. Si autem illa per se tantum sint venialia, erit excessus venialis: quia ordinatio ad ludum superveniens, non addit culpam lethalem. Unde simplex turpilium ex joco profectum non est peccatum mortale, ut recte Cajet. art. 3. Secus, si animo trahendi ad libidinem. Si verba sint sacra, et absit scurrilitas, contumelia, infamatio, jocus plerumque est venialis; nisi forte esset magnus excessus, ita ut gravis videatur irreverentia.

2º. Potest esse excessus ex circumstantiis, scilicet personæ, loci, temporis, finis, qualitatis ludi, et modi ludendi. *Primo*, ratione circumstantiæ personæ; ut si propter dignitatem dedecet personam sic ludere: sic aleæ ludus vetatur Clericis ob dignitatem personæ. Non tamen est peccatum mortiferum, si absque scandalo, recreationis causa interdum fiat; quia usus permittit: neque etiam si ob pecuniam; modo scandalum absit, et de ea libere possint disponere. Secus tamen si aleæ sint dediti; de quo vide Navarrum in Enchiridio cap. 20. n. 3. Ob eandem causam illicitus est illis larvarum usus, quamvis non videatur peccatum mortale, si scandalum et pravus finis absit, ut indicat Cajetanus in Summa v. *Larvarum usus*. *Secundo*, ratione loci, ut si fiat in loco sacro; non tamen erit peccatum mortiferum, nisi vel ratione scandali, vel quia divina officia impediuntur, vel quia speciatim prohibitum est talem ludum ibi fieri; sicuti vetitum est de ludis theatricalibus, ut patet capite *Cum decorem*. 12. de vita et honest. Cleric. *Tertio*, ratione temporis; ut si quis bonam diei festi partem ludis absumat. Hoc tamen non erit mortiferum, si Sacrum, et si quod aliud officium divinum præceptum sit, non omittat: ut docet Navar. cap. 20. num. 3. et Cajetanus art. 3. Ludus enim, etsi operosus sit et laboriosus, ut ludus pileæ, prælii umbratilis, et similes, tamen non est opus servile, aut alias speciatim ob cultum festi prohibitum. *Quarto*, ratione finis; ut si quis ludat animo ad malum pertrahendi. Si finis principalis sit lucrum, erit peccatum, juxta Cajetanum art. 3, Silvest. v. *Ludus*. q. 4. et alios quosdam; quorum ratio est, quia cum ludus natura sua ad recreationem et animi quietem referatur, abusio est illum ordinare ad lucrum; unde etiam hujusmodi lucrum volunt esse sordidum et illiberale, utpote acquisitum per id, quod natura alio destinavit. Fatentur tamen non esse peccatum mortiferum. Contrarium tamen est verius; nam ludus etiam includit vel supponit contractum, estque illius executio. Itaque possunt eo sic uti, qui rerum suarum liberam habent administrationem: quare nullum per se est peccatum, illo ad lucrum uti; plerumque tamen quando quis ad talem finem utitur, est aliquod peccatum, ratione immodicæ cupiditatis, ex qua ordinarie tunc procedit. *Quinto*, ratione qualitatis materiæ prohibitiæ ad ludum usurpári. Sic olim ludus alearum (quo nomine omnes

fortuitum eventum habentes continentur) prohibitus erat ob varia incommoda, quæ inde sequebantur; illa tamen lex jampridem contrario usu est abrogata. Tales enim ludi maxime rationem ludi habent; quia animum attentione non fatigant, et incerto eventu excitant ac recreant. Qui autem multa attentione opus habent, ut est ludus latrunculorum, pessimi sunt ad finem ludi, ut Cajetanus ait; ad vitandum tamen otium optimi. Unde hujusmodi nunquam vetiti; quia vitatio otii maxime necessaria. *Secundo*, ratione modi; ut si quis utatur fraude contra leges ludendi.

Defectu quoque in his peccari potest. *Primo*, quando quis eget hac animi remissione, et eam præ austeritate animi non vult admittere. *Secundo*, quando aliis sua austeritate molestum se exhibet, honestos eorum ludos et jocos non admittens: hoc tamen vitium minus est peccatum quam excessus: sicuti minus malum est nimis aspernari voluptates, quam nimis easdem sectari. Tales vocat Aristoteles L. 4. Ethic. cap. 8. *σκληροὺς καὶ ἀγρίους*, duros et agrestes: et qui jocis excedunt, *βωμολόγους*, scurriles.

O. A. M. D. G.

CONSPECTUS TOMI QUARTI

PARS POSTERIOR.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

DISPUTATIO I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS IN GENERE.

CAPUT I. — DE ENTE, ACTU ET HABITU SUPERNATURALI.

	Pag.
ARTIC. I. — <i>Quid sit ens supernaturale?</i>	3
I. — Ens supernaturale, philosophice spectatum, est quod excedit omnes vires substantiæ limitatæ cujuscumque, hinc simpliciter indebitum naturæ	4
II. — Supernaturale, theologice spectatum, est ens naturæ simpliciter indebitum, quod ex intrinseca sua perfectione pertinet ad unionem cum Deo quidditative sumpto	5
QUÆRES: <i>An possibilis sit substantia supernaturalis?</i>	9
Repugnat creatura rationalis, cui ex intrinsecis naturæ principiis connaturaliter debita sit gratia sanctificans, lumen gloriæ et visio beatifica.	9
ARTIC. II. — <i>An et unde actus salutares entitative sint supernaturales?</i>	11
I. — Sunt entitative et quoad substantiam supernaturales	11
II. — Supernaturalitatem suam participant a principio effectivo supernaturali.	12
QUÆRES: <i>An actus etiam universaliter et necessario desumant suam supernaturalitatem ab objecto?</i>	14
I. — Objectum materiale potest esse idem respectu actus tam supernaturalis quam naturalis, nec ab objecto materiali desumitur supernaturalitas	14
II. — Formale sub quo extrinsecum, seu cognitio proponens objectum tum materiale tum formale quod, aliud est respectu actus supernaturalis, quam respectu naturalis	15
III. — Idem potest esse objectum formale quod actus supernaturalis et naturalis; adeoque non distinguitur actus supernaturalis a naturali per respectum ad objectum formale quod: nec actus desumit universaliter et necessario suam supernaturalitatem ab objecto formali quod.	15
ARTIC. III. — <i>Quid et quotuplex sit habitus supernaturalis?</i>	19
I. — Habitus seu virtus supernaturalis est virtus per se infusa, dans simpliciter posse, et elevans potentiam ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales.	20